Oprawiono w r. 1942.

 

Die 1. Mensis Julii MDCCCXXVIII.

dum

Petri Pallio Vaticano in Basilica Cathe-

drali Cracoviensi

Excellentissimus Reverendissimus Dominus

Joannes Paulus Woronicz

Archiepiscopus Varsoviensis, Primas Regni Poloniae

Decora~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~, Stubam Capitularem ingressus fuisset ~~[illegible]~~

Mathaeus Ladislaus Dubiecki Cancell. Cath.

Senior Capituli Vicar. in Spp. et Officialis

Gnlis Cracovien. Nomine Capituli suam

Excellentissimam Celsitudinem allocutus est.

Tu cuncta Lauris tempora dividis,
Laurumq Lauro porrigis alteram,
Novisq; consignas triumphis,
Non viduos sine laude Soles.

Ex ea Dignitate, quam sane amplissimam in Ecclesia Dei Excellentia Vestra Illustrissima possidet et sustinet, quod praeterea Dominus Eandem Excellentiam Petri Pallio Vaticano nuper redimitam transtulerit, scilicet in culmine Potestatis Jurisdictionis et Imperii Archi Episcopalis et Primatialis collocaverit, iis verbis Tuae Celsitudini super eo gratulamur, quibus uti solemus, cum quidpiam cuipiam ex animo diligentissime studiosissimeque congratulamur. Quid itaque uberius dicendum! haesitans nescio, sed gestiens dico: Capitulum Tuum, Senatum Tuum nosti! Vitae Tuae, Dignitatis, Splendoris, Virtutum, Eruditionis, Amplitudinis, Fortu

na

narum Suarum cupidissimum. Si igitur vellem verba quaerere, quibus, Excellentissime Primas Regni! pro ratione quod Nostrae Poloniae imo Ecclesiae Catholicae Decus audis, voluptatem aperirem, votis nostris paria nullibi sunt. Cogita igitur necesse est omnia me in hoc genere dixisse, quae ab eo dici possunt, cui ad gratulandum Charites omnes, Gratiae omnes, Musae omnes Numen habentia verba ministrarent. At praestant animorum sensa; det Animae Tuae Deus idoneam valetudinem ad tam ardua et sublimia sustinenda negotia, ut istam Ecclesiasticae Dignitatis Eminentem, quinimo Eminentissimam in Regno Poloniae accessionem, ad ea audenda, tentandaque convertas, quae nisi sceptris

mi

utrisque muniti, audere tentareque consueverunt, sique Potestati Jurisdictioni et Imperio Purpurae subjecti Populi, qui non sapiunt, sapiant, qui sapiunt non desipiant et qui desipuerint resipiscant. Idque sane assecuturum scias, si sicut Te Religio Pietas, Magnanimitas rerumque praeclare gestarum gloria supra tot oves Christi extollit, ita demum supra Te memineris transferentem, eorum maxime liberalissimum remuneratorem, per quos Nominis sui notitia animis mortalium vel infertur, vel conservatur, vel propagatur; atque ita Tuis curis et laboribus eloquioque Ambrosiano (: ne dubitet Excellentissima Celsitu-

do

do Vestra: (tot coronae parabuntur in Coelis, quot animas sub Dei potestatem subjeceris in terris. Sed lacrymas non teneo expressas ardentissimo desiderio Capituli Nostri, Cleri populique Cracoviensis, ut sibi omnia prospere feliciterque eveniant ut volumus, utque expedit. Perraro Praesules alii similem Dioecesim habuerunt — felicissimam — opulentissimam — sanctissimam — quam ubi Joannes Paulus non invenisset nulli aeternitate non dignus Woronicz Talem fecisset et fecit Patribus Canae Fidei annumeratus, o! ter quaterve felicem Successorem! Rectefactorum suorum uberrimos fructus in Vinea Christi conspecturum! normam

in

in iis et exemplar habiturum! Eveniunt
atque ubique et in aevum bona, si hoc
solum Excellentissime voles, quod Deus vult,
ut plantes, et quod voles, audeas, et irriges,
et quod audes, dante incrementum Deo, ma-
gno animo, invicto pectore, Nostri Proto-
Martyris Stanislai zelo, uti assoles, effi-
ciàs. Intende igitur prospere procede et
regna, sed et salve! ave! et vale! Joannes
Paule omnibus titulis Noster! – hem! nescio
quomodo adhuc gratiores mihi videntur pie-
tatis quam potestatis Laurea atque titu-
li! Vive diu feliciter Primas Regni et quo-
ties Tui observantissimos cogitare velles, Ca-
pitulum Tuum Cracoviense cogita! Nos

quippe

quippe Te adamavimus et ad invidiam Posterorum invocamus Primatu Abelem, Gubernatu Noachum, Patriarchatu Abrahamum, Judicatu Samuelem, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaronem, Potestate Petrum, Unctione Christum. – Demum, quod summum est, quamdiu suus Religioni et Literis honor erit, tamdiu in Capitulo Craci, et per Orbem vigebit Nominis Tui Memoria, hac namque lege Te optimum Praesulem olim accepimus ut nulla ratione amittamus. –


R J